

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Nicolaus Rhodomann

**Christus Tropaiophoros Sive De Triumpho Christi, ipsiusq[ue] supra omnes
coelos ascensu gloriose, carmen Heroicum, scriptum in laudatißima Academia
Rostochiensi**

Rostochii: Myliander, 1603

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756501148>


Druck Freier  Zugang



N. Rhodomanus.

R. U. theol. 1603.

8



CHRISTUS TROPICO- POPOS

Sive

DE TRIVMPHO CHRISTI,
ipsiusq; supra omnes cœlos ascensu glorioſo, car-
men Heroicum, scriptum in laudatissima
Academia Rostochiensi:

à

M. NICOLAO RHODOMANO
Poeta L. Cæsar.



ROSTOCHII

Ex Typographia Stephani Myliandri.
Anno 1603.

D. Preceptoris suo offert N. Andreus Mem.

1603

31

¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶

Nobilissimo Strenuissimoq; viro,
DN: IACOBO Mörder/
Equiti Pomeran: & hæreditario in
Muslow & Lodenhagen/ &c.

NEC NON

Amplissimo prudentissimoq; viro,
DN: GEORGIO TOM FEL-
DE, inclytæ Recipub: Stralsun-
densis Senatori digniss.

ET

Nobilitate generis ornatissimo opti-
maq; spei juveni,

ANDREAE Mörder/
Dn. IACOBI filio,

Dnis. Patronis & favoribus suis honorandis:

Offert & consecrat

M. NICOLAVS RHODOMANVS
Poëta Lanreatus Casareus.

Sunt exinde ad tempora omnia inveniuntur.



CHRISTVS *Tēgma o. Pōgō.*

CHRISTVS *Triumphans.*

POstquam cunctipotens, rerum cui
summa potestas,
Per quem, quicquid habet 'cōlūm',
mare, terra, creata,
CHRISTVS, quem peperit natum intē-
merata puella,

Vnigenum; mortis discrimina mille subiret:
Cumq; ipsi fueret sancto de corpore sudor
Sanguineus, guttis virides tangentibus herbas,
Multa patrem oranti & tollenti ad sidera palmas;
Oscula mox ipsum caperent pellacis Iudæ:
Postea constrictus vinclis colaphisq; petitus
Discrutienda daret tandem sua viscera lethor
Aēra lamentis implens dioq; ululatu,
Atq; miser caderet crudeli morte peremptus:
Tunc tristata suum ostendit natura dolorem;
Astriferum luget cōlūm caligine mersum,
Sidera quin tenebris etiam obfuscantur opacis,
Et spectare necem funestam Cynthius alti
Ætheris ipse nequit, tetrā & ferrugine rectus
Occulit obscurus lumen radiosq; coruscos.
Et rauco tellus concussa fragore tremiscit,
Duraq; dissiliunt, diētu mirabile, saxa,
Scissaq; visuntur sacri velamina templi,
Inreditur quando summus loca sancta sacerdos
Non renuens justus creudeli occumbere morti,

A 2

Et

Et facere in proprio sacra sanguine grata parenti,
Hoc pre^cio ut redimat nos & labem eluat omnem.
Ipse sibi veluti pullis Agyptius ales
Occisis reserat duro præcordia rostro,
Pignoraq; in lucem revocat perfusa crux:
Sic CHRISTO rigidum recludit pectora ferrum,
Et sanguis largo distillans flumine, vitam
Reddit de votis tristi mortalibus Orco.

At postquam fuerat Salvator morte solutus,
Ex eo saxi tumulo compostus in horto,
Exiguum placidâ spaciū cum pace quievit;
Deinde reviviscens Ditis sub mœnia tendit
Igneā, contendens vastare immane Barathrum
Orci, fracturus bello insuperabile robur,
Ac simul ulturus graviter Cacodæmonas hostes.
Ergo peccatum, depascens pectora morsu
Alsiduo, pedibus calcans iu vincula misit,
Atq; terens Colubri pede cœrula colla tumentis,
Mordenis plantans & fata extrema minantis
Ante redemptori, conclusit carcere cæco.
Hinc horrendum, informe, ingens, mortalibus ægris
Infensum truncat Lethum, rapiensq; sagittas
Mortiferas, arcus frangit pharetrasq; capaces,
Centum & post tergum nobis contingit ahenis,
Exin Tartareum Regem, sub pectore fraudes
Versantem varias sternit, viq; exuit omni,
Torquibus & nexis Lethæi carceris antro.
Claudit, ne exitium nobis clademq; minetur.
Inde triumphatum fortis compescuit orcum,
Atq; dedit Barathrum horrendis immane ruinis,
Deniq; regressus cocytii victor ab antris,
Vnde nos visit socios formidine plenos,

Quo-

Quorum jam tenerum pertant gaudia pectus
Quod SALVATORIS liceat coram ora tueri.
His cum conversans, dictis solatur amicis
Pectora, cœlestis pandens mysteria regni.
Talia sicq; ipsis demum mandata ferebat,
Ut varijs lustrant distinctum gentibus orbem,
Et resonent dulcis passim præconia verbi,
Qua datur humani vultus spectare figuram,
Lustrantes sacri cunctos baptismatis undas:
Ut quicunq; fide imbutus mersusq; sacrato
Gurgite, perpetuae potiatur jure salutis;
At quicunq; sacri spernant miracula verbi,
Compedibus scelerum nunquam solvantur adacti,
Detrusiq; luant sub tristia Tartara pœnas.
Hinc ipsis sacra jussa dabat, ne moenia pulchræ
Linquentes Solymæ prius egrederentur ab urbe,
Quam patris æterni donum, venerabile donum
Acciperent, sacram Divini luminis auram,
Quo mystas fidei sacro munimine firmos
Reddat, & instructos divini dogmate verbi
Defendat, præstans rebus solamen in arctis.

Extremum socios, sibi quos delegerat, Heros
Convocat, his dictis mcerentia pectora firmans:
Cuncta soliq; poliq; mihi data summa potestas,
Ardua dum stabit perituri machina mundi,
Nusquam abero vobis, modo sit fiducia verbo.

Iamq; vale extremum simul ac dixisset amicis,
Se terrâ relavans caput inter nubila condit,
Ascensu superans summi fastigia olympi;
Et jam stellantis sacra palatia cœli,
Altithroni & pandunt se habitacula celsa parentiss;
Flammea tumq; cohors, exercitus æthereis ales

A 3. Præ-

Præpete iter citò per medium secat aëra gressu.
Occurritq; novo victori, læta trophæa
Portanti, & reduci præconia grata Magistro
Cœlicolūm cætus pangens gratatur ovanti;
Datq; triumphalem lætis concentibus hymnum:
Miraturq; hostis prædas, spolie ampla stupescit.
Demiq; cœlelitum aligerâ stipante caterva
Ingreditur victor laquearia splendida olympi:
Tum seie ad dextram patris omnipotentis alumnus
Sublime m posuit, carnem dignatus honore
Æquali, æterno soboles æquæva parenti,
Atq; simul sacro cum flamine cuncta gubernat.
Dum verò astantes tantarum pectora rerum
Discipuli, mystæ Christi verbiq; ministri,
Atoniti novitate pavent, vastigiaq; alte
Lumina fingentes cœlo, mirantur euntis;
En, mirum, gemini juvenes uisuntur adesse
Candida fulgenti succincti corpora veste
Cœlicolæ & tali invadunt sermone stupentes:
Quis standi finis? quare Galilæa virùm vis
Suspiciit mæsti converso ad sidera vultu?
Qui jam viðtor ovans cœli convexa petivit,
Mox simili cœli splendore redibit ab axe,
Et iudex resonante tubæ clangore severus
Cunctorum pariter vitas & crimina discet.
Discipuli verò Divini numinis aura
Insuper impleri, spacious climata terræ
Lustrarunt, passim tradentes dogmata verbi
Dulcia salvifici, dispersis gentibus orbis.
At verò CHRISTVS genitoris vera propago,
Cui simul est sacro cum flatu æterna potestas,
Bis genitus, votis interpellare parentem

Non

Non cessat, tribuens nobis dona, optima dona,
Christicolis quos fulcit ope solamine firmo
Roborat, & verbi Doctores mittit ijsdem
Sinceros, pietas quibus est doctrinaq; cordi,
Ipsorumq; pium sub coetum voce gubernat,
Illustrans radijs caecas caligine mentes.

Ergo triumphanti Victor tibi Christe perennes
Et decet & fas est pertexere carmine grates
Quod coelo veniens moribundos corporis artus
Induis, & suffers mundi fera crimina, ligni
In ligno solvens dispendia, & invia Ditis
Limina perrumpens, Plutonem in vincula cogis:
Fregistiq; Necis truculentæ colla cruenta,
Eripiens ipsi simul arma hostilia & arcus,
Robur et omne suum, nunc ut vi victa sit expers,
Nec vim tela ferunt ultra, nec mortis acumen
Amplius exitium valet intentare redemptis.
Tu quos compedibus vinctos ferus hostis habebas
Omnipotente manu SALVATOR CHRISTE, resolvis,
Et facis æternâ tecum ditione posiri.
Deniq; ab infernis rediens ad cœlica tecta
Conscendis, dicens victor captiva sub auras
Vincula Erebi, carnemq; tuam statione locasti
Sublimi, æqualisq; patri per secula regnas,
Et nobis mittens septemplicis inclita dona
Flaminis, in medium largiris munera parta,
Præficiens ovibus qui pabula sana ministrent.

Nunc ergo unanimes te supplice voce precamur
Per sanctum Flatum quod pectora nostra gubernes,
Spiritus in membris dum nostris soverit ossa,
Vt sub divinis agitemus legibus ævum,

Vltima

Vltima, quò tandem, cum judicis ingrue hora,
Et prope nunc instat, cum corpora tradita terræ
Prodibunt rursus ruptis excita sepulchris,
Te veniente vagis sub nubibus ætheris alti,
Diæq; accipient vocis bibula aure tenorem:
Dulcia promissæ nobis des gaudia vitæ,
Hæredesq; patris cœlesti in fede reponas.

F I N I S.



Non cessat, tribueas nobis dona, optima de
Christicolis quos fulcit ope solamine fit
Roborat, & verbi Doctores mittit ijsdem
Sinceros, pietas quibus est doctrinaq; cordi
Ipsorumq; pium sub cœtum voce gubernat
Illustrans radijs cæcas caligine mentes.

Ergo triumphanti VICTOR tibi CHRISTE p
Et decet & fas est pertexere carmine grates
Quod cœlo veniens moribundos corporis
Induis, & suffers mundi fera crimina, ligni
In ligno solvens dispendia, & invia Ditis
Limina perrumpens, Plutonem in vincula
Fregistiq; Necis truculentæ colla cruenta,
Eripiens ipsi simul arma hostilia & arcus,
Robur et omne suum, nunc ut vi victa sit ex
Nec vim tela ferunt ultra, nec mortis acutum
Amplius exitium valet intentare redempti
Tu quos compedibus vinctos ferus hostis
Omnipotente manu SALVATOR CHRISTE, r
Et facis æternâ tecum diuine posiri.
Deniq; ab infernis rediens ad coelica recta
Conseendis, dicens vicit captiva sub aura
Vincia Erebi, carnemq; tuam statione loca
Sublimi, æqualisq; patri per secula regnas,
Et nobis mittens septemplicis inclita dona
Flaminis, in medium largiris munera part
Præficiens ovibus qui pabula sana ministrer

Nunc ergo unanimes te supplice voce pri
Per sanctum Flatum quod pectora nostra gu
Spiritus in membris dum nostris soverit ossa
Ut sub divinis agitemus legibus ævum,




Image Engineering Scan Reference Chart TE265 Serial No. 091